

eatenus fecit iacturam, quatenus Recessu Imperii anni 1521. ius repraesentationis etiam in successione collateralium in omnes Germaniae oras porrectum est. Qua certe constitutione Imperii vniuersali effectum, ut ius Romanum hactenus vniuersi sequantur Germani, suo repudiato datoque in exilium Germanico.

### §. VII.

Est autem ius repraesentationis facultas moralis occupandi locum et gradum genitoris et cognati ascendentis praemortui, qui successisset in bona intestato defuncti, de cuius hereditate quaeritur, si ei superuixisset, ad eandem successionem obtainendam. Nam id repraesentatione effici inde liquet, quod opus ea tum est, quum alter altero longius remotiorique gradu a defuncto distat, atque ab hoc una cum propiori eius cognato gradu pari et aequali dissidere cupit, ne a successione excludatur. Vid. §. 6. Inst. de hered. quae ab intest. Deinde ex eo, quod repraesentatio est facultas moralis seu potestas locum occupandi praemortui ad obtainendam eandem, quam, nisi ante decessisset, natus esset, successionem in bona defuncti, de cuius hereditate quaestio est, sequitur, ut repraesentans in tantum, quantum persona, quae repraesentatur, si superuixisset, ex hereditate fuisset acceptura, succedere possit, id quod successio in stirpem vocatur. Vnde repraesentatione obtainente successio in stirpes obtinet, pluresque repraesentantes solummodo portionem repraesentati, quum hic obtineat vicaria successio, consequuntur. Quae omnia etiam ipsa vox repraesentationis significat. Quia successorus defuncto, de cuius agitur hereditate, gradum propioris ante extincti cognati occupando denuo quasi huius exhibet praesentiam, ideoque iure vtitur vicario et quod illi, si vi-

Definitio  
iuris re-  
praesenta-  
tionis.